

ostendatur. Inde illud circa initium: *Afferenti namque cum mandatis Principis se venisse credendum non est, nisi hoc scriptis probauerit.* Id autem non solum ad suscipiendum administrationem, sed etiam ad consecrationem spectare, ex eo constat, quia in actu consecrationis ante alia à Consecratorum queritur an habeat mandatum Apostolicum, Et eo afferente, Bullæ Apostolicæ proferuntur, & clarâ voce leguntur. Item. Cùm Pontifex in Extrauag. prædictâ varios afferat casus & exempla, in quibus literæ probatoriæ requiruntur, & inter alia sic habeat: *Similiter Clerici ad alienam Diocesim sine suorum Ordinariorum litteris venientes, nec in suis recipiantur Ordinibus, nec ad superiores ascendant: statim subdit: Quod autem illis, qui se Episcopos &c. appellant, sit discussio celebris & diligens faciendâ, luculenter appareat, si scandala & pericula grauiâ, quæ ipsorum parere possent communicatio indiffusa, diligenter attendatur.* Hæc Pontifex: iuxta quæ manifestum est illius intentionem eò dirigi, vt prouideat ne quisquam sine Litteris consecretur: quia ex eo grauiâ scandala & pericula perspicuum est emeritura, dum se Episcopum electum appellat, quod tamen Apostolico nequit testimonio comprobare.

79. Et hoc amplius quæ subnequit Pontifex sic locutus, ostendunt: *Hinc Nos euadens euocat ratio, vt cum præmissis aliis casibus, qui minoris existunt periculi, sit ex Constitutionibus editis iam prouisum: hunc vltimum, qui pericula grauiora minatur, nequaquam sine prouisionis opportuna remedio relinquamus.* Sic ille. Constat autem eum, qui sine Ordinarij sui Litteris promouetur, manere suspensum, non solum ex iure nouo per Bullam Pij Secundi sextam aut septimam in ordine, & Concilij Tridentini Decretum Sessione 23. Cap. 8. Sed ex antiquo. *Cap. Eos qui, de temporib. Ordinarij, licet circa genus suspensionis diuersitas fuerit sententiarum, dum alij Censuram esse negarent, affirmarent alij, ita vt ex illius violatione irregularitas contraheretur.* Dicendum ergo cum, qui sine Apostolicis Litteris consecretur, poenam suspensionis incurrere, & eam in Extrauagante præfatâ contineri.

80. Quia verò consecratio non expressa sub eo nomine, dicendum verbis illis contentam, quibus accessus ad Ecclesiâ, ad quas sunt prouisi, prohibetur: *Ad commissas eis Ecclesiâ accedere &c.* Ibi enim prohibitio consecrationis, quæ summum in eo negotio constat habere momentum, censetur prohibita vel supponitur, in qua maiora pericula & scandala, quibus obuiare intendit Pontifex, timeri possunt: & consecretari, accedere quodammodo est, dum spirituale in illa coniugium cum Ecclesiâ celebratur: vnde & distinguitur accessus talis ab accessu per usurpationem administrationis, dum dicitur, *Accedere, vel bonorum Ecclesiasticorum administrationem accipere &c.* Poena autem, quæ statim imponitur, suspensionem continet, dum officio ac beneficio priuantur, licet non sub his terminis, sed sub aliis importantibus: irritis declaratis, quæ ab eisdem acta fuerint: quod est officio esse destitutos, & prouentuum perceptione negatâ, in quo beneficij est constituta priuatio. Et licet Bonacina *Disput. 3. citatâ Quæst. 4. Puncto 10. num. 1.* Sic loquatur: *Suspenduntur, seu potius repelluntur, vt non videatur*

tur omnino propriam suspensionem agnosceret tamen P. Suarez *suprà Sect. 5. num. 23.* sine limitatione loquitur, & propriam re ipsâ suspensionem agnoscit per illius effectus.

81. Ex quibus inferendum est. Consecratorem suspensionis etiam poenam incurrere: nam promouens non subditum sine litteris testimonialibus tali poenâ mulctatur in *Cap. Eos qui, de temporib. Ordinarij, à Concilio Tridentino Cap. 8. citato, & aliis apud Bonacina Quæst. 2. Puncto 8. num. 4.* vbi Auctores adducit. Ex eo ergo similiter argui potest: quia Pontifex eam adducens de promotione agit, quæ promotores & promotos amplectitur, & maiorem intendit circa illos, qui maiori sunt præditi dignitate, distinctionem exercere. Nec dici potest eos non expressos, & sic à suspensione immunes, ex citato *Cap. Quia periculosum.* Nam licet expressi non sint, satis tamen intelligendi veniunt: quia aliâ non esset sufficienter grauiâ catui prouisum in re summi momenti, qualis est Episcopij consecratio: neque dispositio iuris circa promotos & promoventes sine dimissorijs propriorum Ordinariorum commodè fuisset adducta. Præterquam quod suspensio in promotore arguit illam in promovente: quod in Sacerdotis promotione specialiter decum *Cap. Si qui Episcopi 1. quæst. 1.* vbi sic dicitur: *Si qui Episcopi talem consecraverint Sacerdotem, qualem non liceat, Ordinationis ius vltimum non habebunt.* Esse autem suspensionem latam, & non tantum ferendam; tenent Marius Alterius *Tomo 2. Disput. 16. Cap. 1. vers. Secundo. Sayrus Lib. 4. Theauri, Cap. 14. numer. 17.* & alij. Licet non desit qui dissentiat apud Bonacina *Quæst. 2. Puncto 2. num. 2.* & quamuis Auctores ita nomen Sacerdotis communiter accipiant, vt de Episcopis non videantur Canonem interpretari, sicut neque de inferioribus gradibus; id quidem ex non attento contextu ortum, quia D. Leo, cuius est ille in *Epist. 87.* ad Episcopos Africanos scriptâ *Cap. 2.* apertè de Episcopis loquitur; sic enim post alia ibi: *Ne quod ad tempus piâ lenitate concessimus, iustâ post hæc punitione plectamus in eos specialius & propensius commouendi, qui in Episcopis ordinandis Sanctorum Patrum statuta neglexerint, & quos resutare debuerant, consecraverint.* Vnde si qui Episcopi talem ordinauerint Sacerdotem, qualem non liceat, etiam si aliquo modo damnum proprij honoris euerint, Ordinationis tamen ius vltimum non habebunt; nec ei Sacramento intereunt, quod neglecto diuino iudicio, immerito præstituerunt. Sic ille.

82. Pro quo & est Consecratorem maiore poenâ dignum reputari in iure; sic enim loquitur D. Cœlestinus 1. in *Cap. Tantis, 81.* distinctè. *Facilius est enim vt hanc dignitatem tali dando amiserit Ordinarij, quam eam obtineat Ordinarij, cui consilio sociabitur, qui eum sibi crediderit largiendo Pontificium sociandum.* Qualis enim sit ipse quisquis tales ordinauerit, ostendit. Sic ille, de poenâ depositionis locutus iuxta Glossam. Et licet dici possit non esse latam, sed ferendam; ex eo tamen habemus stante suspensione respectu consecrati, ea nequit in Consecratore negari. Præterquam quod depositionis sententia suspensionem videtur supponere, & eam declarare atque aggravare, vt significat Marius Alterius *Tomo 2. Disput. 2. Cap. 1. §. 1.* quia maior suspensio est, vt notant Doctores, ex quibus

quibus Pater Palau *Parte 6. Disputat. 4. Puncto vltimo.*

83. Iuxta hæc ergo satis compertum habetur violantes Censuras dictas irregularitatem contraxisse pro quâ dispensatio Pontificia confertur. Posset autem quis dicere suspensionem, de quâ in Extrauagante *Iniuncta,* non esse Censuram, sicut de suspensione incursâ propter collatos Ordines ab alieno Episcopo sine litteris proprijs, dicunt aliqui, vt aduertimus *numer. 97.* ex quibus Glossa in *Cap. Eos qui citato:* quam sententiam P. Suarez attento tantum iure antiquo dixit posse sustineri *Sect. 1. citatâ, num. 14.* Bonifacius autem VIII. in Extrauagante dicta secundum ius antiquum in prædicto. Capite contentum est locutus, quod est Gregorij X. in Concilio Lugdunensi. Si ergo Censura non est, sed pura poena Ecclesiastica, ex illius violatione non veniet irregularitas incurrenda, vt citata Glossa in casu illius Capituli philosophatur, sicut & alij, vt testatur P. Sâ *v. Irregularitas ex Ordinis abusu, num. 7.*

84. Sed hoc non vrget: quia cum verosimile satis sit suspensionem illius Capituli esse Censuram, & aliunde Bonifacius in Extrauagante citatâ circa Episcopos plus velit vrgeri, ex eo fit plus aliquid roboris in eius decisione contineri, vt omnino certum haberi possit propriam esse Censuram. Et ita intellexit Sacra Congregatio, dum absolutionem ac dispensationem necessariam declarauit, quam & Pontifex impertiuit, quia manifestum erat consecratum & consecrantem contra suspensionem dictam egisse, Pontificale manus exercendo. Et per violationem suspensionis, quæ pura poena sit, irregularitatem etiam incurrere vt certum statuit P. Suarez *Tomo 5. citatâ Disputat. 27. Sect. 2. num. 4.* ex *Cap. 1. de re iudicata, & de Sen. excommuni. in 6.* quem sequitur P. Palau *Parte 6. Disputat. 4. Puncto 6. num. 5.* alijs pro eodem adductis. Leander *Parte 5. Tractat. 2. Disputat. 22. Quæst. 5.* Villalobos *Tomo 5. Tractat. 18. Difficult. 3. numer. 57.* licet oppositum censent probabile. Quibus addendum id, quod de Interdicto diximus ex *Cap. Præsenti,* de officio Ordinarij in 6. de quo *numer. 75.* & ad Consecratum pertinet. Circa Capitulum autem, cui in Extrauagante eadem poena priuationis beneficijs imponitur, nihil à S. Congregatione dispositum, neque à Pontifice decretum, ob receptionem & obedientiam, quia poena manifesta est, & nihil fuit ex parte Capituli supplicatum: vnde nec debuit sententia contra inauditam partem pronuntari. Cùm possint aliâs Capitulares iustam causam receptionis obtendere: & quod fortè iam in viuis non extant, qui tunc temporis in prædictâ Ecclesiâ residebant. Et hoc circa quartum, in quo non leues difficultates occurrunt, quibus, eò quod non ita obuiat, conatus sum lucem aliquam exhibere. Iam ad alia.

Circa resolutionem Sacræ Congregationis pro valore Consecrationis vtilia quædam adnotata.

85. **Q** Vintum ergo sit, Sacram Congregationem vt omnino validam consecrationem proponere, quamuis tot viri docti, gra-

uissimis ducti fundamentis, non solum in Indijs, sed etiam in Hispaniâ, satis dubiam pronuntiauerint. Immo & oculis Pontificiæ Sedis scribens Diana *Parte 12. Tractat. 1. Resolut. 47.* idem statuit, ratus sub conditione repetendam consecrationem. Vnde à veritate prorsus alienum, quod in vulgari quodam scripto circumfertur, Auctorem scilicet hunc in fauorem Episcopi scripsisse. Ad quod quidem responderi potest, sicut in simili respondet citatus Auctor in sine Resolutionis dictæ circa casum Bullæ Pij IV. die 11. Augusti. 1562. qui dispensans vt Episcopi in Indijs consecrati ab vno tantum Episcopo sine Apostolica dispensatione, & ab huiusmodi excessu, ac suspensionibus, aliisque Ecclesiasticis sententijs, Censuris, ac poenis absolvens pro irregularitate etiam dispensatione subiunctâ; opinionem est probabilem amplexus, conueniens non iudicans consecrationis iteratæ sub conditione remedium. Quod exemplar sacra est Congregatio secuta, ne Sedes Apostolica in suis dispositionibus sibi contraria videatur. Et quia non sine scandalo id videtur stare posse. Vnde Dominicus Sotus in 4. *Distinct. 1. Quæst. 1. Artic. 8. §. Circa,* docet ad huius Sacramenti iterationem difficilius quàm ad alia veniendum. Possunt ergo ordinari à præfato Episcopo post absolutionem à suspensione, quam ab interdicto, suspensio, & irregulari Ordinem accipientes contraxerunt, tutâ conscientia in exercitio Ordinum suorum proficere, quia & ipsa pro se habent probabilem opinionem: sed id non tollit, quo minus possint sub conditione iterum ordinari. Vbi & notanda doctrina succurrit, quam ex alijs proponit & amplectitur Mag. Barnabas Gallego in *Tractatu de Conscientiâ, Dub. 2. de Conscientiâ probabili,* vbi statuit responsa Pontificum ad casus particulares non habere vim legis, nisi de illorum mente constet: nec credendum eos egregiorum Theologorum sententias velle penitus condemnare. Videndus etiam Leander *Parte 4. Tractat. 2. Disput. 17. Quæst. 46.* vbi & P. Granada *Controu. 1. de Fide, Tractat. 15. Disputat. 14. num. 10.* statuit S. Congregationem probabiles sæpè opiniones amplecti, sed oppositas, eo non obstante, posse valde probabiles reputari. Et ita in præfati casu contingere dicit nouissimè Carumel in Apologema pro doctrinâ de Probabilitate *Epist. 4. num. 147. in edit. Lugdun. anno 1663.* adducens verba Sacræ Congregationis, & post illa refert Laurentium Brancatium *Tom. 3. Disput. 6. artic. 4. num. 89. in addit. Romanâ, anno 1662.* dicentem: *In huiusmodi fateor standum esse Decretis Romanorum Pontificum, ideoque reuerti tantum argumenta & responsiones, quæ pro & contra possunt adduci, eis tamen adherere non curo, neque pro Episcopo habere sic ordinatum.* Hæc Brancatius Romæ Superiorum permisso, non ergo intendit Sacra Congregatio oppositam sententiam condemnare, sed iuxta probabilem processit.

86. Quod suaderi vltimè potest ex eo quod in eodem Decreto dicitur, consecrationem scilicet quantum spectat ad Sacramentum, & impressionem characteris, fuisse validam. In eo enim probabiliter tantum locuti DD. Cardinales, dum consecrationem Sacramentum propriè vocant, & impressionem characteris eidem attribuunt; contrarium enim sequuntur multi vt probabilius, licet

licet Nos illis neutiquam assentiamus, de quo ex professo egimus Tomo 2. Theologicorum Problematum a numer. 130. Et pro quo Bonacina cum negantibus sentiens, plures adduct Tomo 1. Disput. 8. Quæst. unica, Puncto 1. num. 2. & 3. & supra Quæst. 1. Puncto 1. num. 10. ad priorem locum se referens affirmat Episcopatum propriè & strictè loquendo non esse Ordinem, quod & repetit Puncto 7. numer. 4. & alibi. P. Amicum ex Recentioribus pro eadem depugnans citato num. dedimus. Et probabiliter agnoscit etiam Sayrus Libr. 1. de Sacramentis Cap. 1. Quæst. 3. Artic. 5. numer. 2. Et P. Becanus Tractatu de Sacramentis Cap. 26. Quæst. 3. Alexander Pelantius in Additionibus ad D. Thomam Quæst. 40. Disputat. 3. asserit Episcopatum non esse Ordinem distinctum, neque distinctum imprimere characterem. Et cum S. Thoma idem tenere Scholam Patrum Dominicanorum 3. p. quæst. 40. art. 5. ex quibus aliquos adducit. Affirmat Diana Parte 5. Tract. 10. Resolut. 41. ubi & probabiliter agnoscit: sicut & Guilielmus Estius in 4. dist. 24. §. 28. & Ioannes Poncius in Cursu Theologico Disput. 48. num. 1. P. Comitulus Lib. 1. Responso. morali. Quæst. 49. numer. 11. describit: Quæ sententia ferme est omnium Præcipuum Theologorum. Ex quibus statim plures inducit. Quam & tenet P. Azor Tomo 2. Libr. 3. Cap. 27. Quæst. 3. & 4. Et alij apud Leandrum. Parte 2. Tract. 6. Disput. 1. Quæst. 10. Thomas Hurtadus Tract. 13. & ultimo Resolut. mor. num. 77. ex eo quod sit illa receptissima in Thomistarum scholâ, in Auctores Societatis inuehitur ipsam communiter impugnantes. Sed quam inoffensè & toruè, sicut in aliis, ostendit P. Gabriel de Henaco, de Sacramento Eucharistia. Disput. 12. n. 95.

87 Et quidem Episcopi, de quibus Pius IV. in sua Bulla, minus certum fundamentum valoris suæ consecrationis habebant, quia consecrati fuerant absolute sine dispensatione, in quo de necessario aliquo ex iure diuino, & quod nullo modo aderat, quæstio vertebatur, ternario scilicet Episcoporum. In casu autem nostro reuera extabat dispensatio circa illud, tum in speciali Bulla Urbani Octauum nondum receptâ; tum in Bulla prædicta Pij IV. Et tantum dubitari poterat an ipsi verè applicaretur, sic enim Pontifex loquitur: Nos igitur sacrorum Canonum æquitate à nemine ultra quam præstare possit exigere perpendentes &c. (ubi satis inuitur pluralitatem Episcoporum pro consecratione, per sacros Canones, & non ex Christi præcepto vt omnino necessariam fuisse introducitam) Vt deinceps perpetuis futuris temporibus, post eorum electionem & assumptionem huiusmodi, nullo alio sibi obstante Canonico impedimento, à quocumque maluerit Catholico Antistite &c. Cum ergo Episcopo, de quo quæstio, Canonico impedimentum ex defectu Litterarum Apostolicarum videatur obstitisse, dispensatio iocum non habere videbatur. Iam ergo Bullæ vtriusque decisione perspectâ, Pij inquam & Alexandri, intelligere deinceps possumus Sedis Apostolicæ voluntatem esse, vt dispensatio in casibus similibus semper locum habeat, quantum ad valorem consecrationis, si illa necessaria est, ne sit opus iteratâ consecratione, quod, vt diximus, stare sine scandalo nequit. Et hoc circa Episcopos, de quibus Pius

IV. suo modo etiam accidisse potest affirmari, quibuscum in eorum prouisione, electione, & assumptione tacitè dispensatum est quoad valorem: cum semper Pontificia Sedes erga ea, quæ tanti momenti sunt, similem sit credenda prouidentiam exercere.

88 Et hæc quoad valorem sufficienti, licet consecratio peracta non fuerit, virtute dispensationis Pij IV. à Consecrato penitus ignoratâ; vnde in Breui nulla illius mentio ad fundandum valorem consecrationis: sed ex aliqui notitia, aut præsumptione ab Urbano Octauo concessâ, vt ex Breui constat. Quamuis autem notitia illius deficiat, effectum habere potest, si Bullæ confirmationis adsint, & specialis de dispensatione non extet: quia est gratia Communitati concessa, communiter etiam acceptata, præsertim à Rege, ad cuius instantiam emanauit: & per accidens est quod ab vno, aut altero, dum operatur, ignoretur. Pro quo videri potest P. Suarez Lib. 8. de legibus Cap. 25. num. 16. ad quem locum se refert Lib. 6. Cap. 11. num. 8. ubi de dispensatione agit. In casu autem nostro, quia Bullæ confirmationis defuerunt, quod est Canonico impedimentum, aliter res se habuit, quia pro conditione exigitur ne illud interueniat: non ergo potest valor confirmationis eo fundamento inniti, nisi iuxta datam explicationem.

89 Immo (quod verosimilius apparet) iuxta mentem Pontificum videtur, ad valorem consecrationis non esse dispensatio vlla necessaria, cum illam non videantur attendere. Licet enim id stare possit quod de tacita dispensatione diximus, id tamen solum est verosimilis coniectura, quæ aliis talis fortè non apparebit. Et quidem Pius IV. numerum Episcoporum pro consecratione à iure tantum statutum inquit. ibi: Nos igitur sacrorum Canonum æquitatem, & alia vt num. 87. Et cum vni Episcopo facultatem tribuit, non de valore agit, sed de libera ac licita potestate, verbis illis: Vt idem minus talis auctoritate præfata impendere libere possit, plenam & liberam auctoritate & tenore presentium facultatem concedimus & indulgemus. Non ergo decisionis suæ vim in habituali dispensatione constituit, quam nostra inulit coniectura, & ab aliis (vt dixi) forsitan reiicienda. Quemadmodum P. Quædus in approbatione Scripti cuiusdam P. Francisci de Connexas, circa casum præsentem euulgati, de simili coniecturâ censuit. Cum enim præmissis posse aliquando licitum esse vsuram opinionis probabilis in materia Sacramentorum, quia tunc Ecclesia defectum supplet, si illa vera non sit, ita subdit: En la legitimacion del Ministro es materia mucho mas escurpuloza; y cumque alguno diga que en esta materia es lo mismo, (Ordinis scilicet) por poder el Pontifice dispensar para que vn Obispo solo valide consagrar, asi se hade presumir suple el defecto de los dos quando con probabilidad se hace la consagracion ab vno: esto dirase solo con vna prudente congeçura muy incierta. Sic ille.

90 Et vrgeò: Nam si ad dispensationem pro defendendo valore est recurrendum, rogo quando id faciendum, an semper, an aliquando tantum? Semper quidem non videtur admitti posse, nam multoties posset esse valde exorbitans consecratio, & inconuenientibus grauissimis plena; videlicet

videlicet quis neque à Patrono præsentatus, neque electus; aut confirmatus, & plures patiens Canonicos defectus se faceret consecrari. Vbi & dicit iuxta moralia principia debet dispensationem esse nullam, quia est in lege Superioris, Christi scilicet, sine iusta aut rationabili causa. Quod autem aliquando non est verosimile, quia à Pontificibus non sunt designatæ circumstantiæ, in quibus id possit contingere, & valde diuerse illæ esse possunt, vnde in casuum contingentia magna confusio sequeretur. Cumque stante valore, remaneant alia poenæ, quas Consecratus incurrit, vt in casu nostro videre licet, neque tunc rationes conuenientes dispensationis occurrant, vnde & dubitari de illius valore poterit. Sicut enim non est causa sufficiens ad dispensandum in eisdem casibus, vt consecratio non solum valida sit, sed etiam quoad vsum illius; cum tamen, si validus non sit, grauius inconuenientia sequantur, incursu censuratum, irregularitatum, & periculorum quamplurimum animarum ex non legitima administratione Sacramentorum: ita consequenter de consecrationis valore dicendum, in quo omnia præfata admiscuntur incommoda, & maiora fortè alia, vnde iuxta mentem Ecclesiæ idem consequenter faciendum, si valor à dispensatione illius dependet. Non ergo dependet, iuxta praxim, quam amplectitur, grauius Scriptorum auctoritate firmatam, qui videri apud Dianam possunt Resolut. 47. citata, quorum & sententiam ille probabilis arbitrat.

Circa vulgare scriptum post Breue editum commoda Animaduersiones.

91 Scripti huius memini num. 85, in quo illius auctor tria vt digna notatione proponit. Primum, sacram Congregationem sine plena notitia facti pronuntiasse. Secundum, iis inspectis, quæ post Decretum ad Romanam sunt Curiam allata, & antea afferri commodè non potuerunt, aliter forsitan decernendum, & declarandum Censuras Episcopum neutiquam incurrisse. Tertium, omnia Sacramenta ab Episcopo administrata, quæ characterem Episcopalem requirunt, vt Ordo, & Confirmatio, fuisse valida, & consequenter omnia administrata à Sacerdotibus ab eodem ordinatis, etiam si ille censuris ligatus fuerit, immo & irregularis, iuxta communem Doctorum sententiam, ex quibus D. Thomas, Diana, & Barbosa, & nonnulli pro eodem Textus ex Decreto proferuntur. Ad quæ breuiter dico,

92 Primum non esse Apostolico Breui conforme, ex quo constat pro parte Episcoporum dictorum fuisse Congregationi expositum statum causæ, de quo agimus: vnde manifestum apparet eos nudè veritatem enarrasse; alias eorum conscientia per resoluta in Congregatione minime tutæ remaneret. Idem constat ex humilissimè supplicatione eorumdem coram sua Sanctitate, vt eorum statim opportunè in præmissis provideat de benignitate Apostolica dignaretur. Status ergo ab eisdem propositus & expositus. Ex quo sequitur neque secundum veritati consonare: quia quidquid de nonnullis accidentibus fuerit, sub-

Theauri Indici Tom. II.

stantia ipsa negotij non potuit legitime variari. Consecrationem præterea sine Litteris Apostolicis peractam nullo modo negari potuit, quidquid de suscepta administratione fuerit: in quo id, quod dicitur, credent fortasse longinquis; sed qui viciniore, sciunt quid actum, sciunt & complures alij, & acta ipsa iudicialia resque ipsa clamant: qui enim ritè & rectè se consecraturum contendebar, quocirca administrationem, quæ quid est consequens, vt vidimus num. 74. nouo scrupulo pungeretur? Vnde & decantatum illud Brocardi exemplum, de quo Glossa in Extrauag. Inimice, vers. Subsistat: qui sine confirmatione administrationem suscepit. Non ergo æmulatio damnabilis, sed quæ meliora amplectatur charismata, circa gesta fuit talia concitata.

93 Et quidem licet sacræ Congregationi ante illius Decretum non fuerint pleniora illa scripta præsentata, potuerunt sanè postea præsentari, cum allata dicantur ante expeditionem Breuis, in quo potuit per notitiam pleniorum habitam (duorum annorum, & sex mensium interiecto spatio, vt ex tenore ipsius constat) id, quod minus exactè processerat, reformari. Cum ergo Breue ita impetratum fuerit, vt nihil in eo à Decreto Congregationis diuersum habeatur, non obscurum indicium est parum veridicæ narrationis, aut minime probabilis coniecturæ de variatione Decreti, Censuris improbatas. Neque Allegatio quædam Iuriscoisulti Curialis adeo irrefragabilis fuit, vt clamatur, quam constat in Romana Curia nihil ad euitandas Censuras, aut earum potius declarationem, roboris habuisse. Valorem autem consecrationis nullus ex iis, qui æmuli dicuntur, omnino negauit, sed dubium fuisse contenderunt, stantibus contra illud valde probabilibus fundamentis. Quod si post Allegationem dictam tacuerunt, à doctis quibusdam comprobata, id non, quia eorum sunt oppressi iudicio, factum ab eisdem, sed honestà aliâ ratione: nusquam enim coram Pontifice, etsi grauius læti, causam profectus. Et cum in Regia Curia executioni Breuis se possunt opponere, abstinerunt penitus, Deo exitum committentes: qui vtrinam felix faustusque sit, ad ipsius gloriam, triumphum agente veritate.

94 Iam quod ad Tertium attinet de rata Ordinatione libenter amplectimur, pro quo plenissime P. Suarez Tomo 5. Disput. 11. Sect. 2. Videndus item P. Bauny Tomo 2. Tract. 1. Quæst. 9. Dicto 6. §. de iudice absolute. Sed illud certè in sensu ab Auctoribus asserto; quando scilicet in Episcopi consecratione nihil fuit, vnde possit de valore ipsius dubium resultare. Et in eo etiam casu, licet acta ab Ordinatis Sacerdotibus circa Sacramenta, ad quæ solus Sacerdotalis character sufficit, valida sint, vt consecratio Eucharistia, Extremæ vnctionis collatio, absolutio in articulo mortis, pro quo videri citari possunt Sectiones & Quæstiones indicatis. Posterior item Quæst. 8. Dicto 2. quamuis circa Extremam vnctionem non deficit qui neget deficientem bona fide ex parte recipientis, pro quo P. Suarez num. 3. Non ita in aliis; vt generaliter & pro certo asseritur: quia eum priuati officio sunt, vt iam dictum, per Extrauag. Inimice, iurisdictionem exercere nequeunt: quod si contra ab eis tentatum fuerit

M M M

quid.